

Syluestrium signorum formam tenentia, faciunt natum deterioris ingenij, & maioris iræ, & ea ratione magis alienum à bonis moribus, disciplinæ parum participem & urbanitatis, sed ad omne uiolentum & rusticum magis inclinatum.

Ascendentis signum si non fuerit humanum, neq; Almuten ascendentis, neq; Almuten natiuitatis in humanis signis, ut sunt Gemini, Virgo, Libra, & Aquarius, & maxime in termino Mercurij, erit natus ex hominibus, qui nullam cum alijs sanctam societatem, aut foedera amicitiae ineunt.

Mercurius occidentalis extra radios, non retrogradus, in domo Solis, significat studium Astronomiae.

Iupiter & Sol damnati, uel cadentes, significant quod natus deficiet sensu.

Iupiter in domibus Martis, & gradibus puteosis, sordidos & egenos, & à personis militaribus laesos significat. In domibus autem Saturni, & specialiter in Capricorno, & in gradibus puteis, facit rigidos, & omnibus odiosos.

Cui Saturnus in natiuitate praefuerit, erit sordidus. Et cui Mars, foetidus.

Si Venus sub radijs fuerit, in signo luxurioso, & infortuna aliqua super eam eleuata, natus erit effoeminatus & Sodomita.

Appetitus nati à Venere dinoscitur, nam ipsa facit natum delectari in operationibus illius membri, tali signo (in quo ipsa fuerit) subiecto. Nam si in Leone extiterit, erit natus philocaptus, nam Leo habet praedominium in corde, & Venus est planeta amoris & gaudij, ac pulchritudinis, quare effectus ille Veneris, in illo membro significatur. Item Taurus, quæ est domus Veneris, significat collum, quod est instrumentum quo perficitur cantus, quare Venus in Tauro, facit maiorem aptitudinem & dulcedinem uocis, & non solum in cantu, uerumetiam in commestationibus & potu, quoniã collum est etiam instrumentum receptionis cibi & potus. Item Scorpius domus Martis respicit pudenda, quare Venus in Scorpione, mouet operationem & naturam illius membri. Natura autem & operatio siue delectatio istius membri est coitus. Item Pisces domus Iouis, respiciunt pedes, inclinant ad operationem, quæ fit per pedes, ita quod tales quærant delectationem deambulando, eundo, choræas ducendo, saltando, pedes pulchre ornando. In Geminis, significat delectationem & appetitum ad ea, quæ manus respiciunt, ut ornare manus annulis preciosis, formare digitis pulchros labores, in quibus homines gaudebunt, & qui hominibus bene placent. Hoc autem semper intellige, si ipsa Venus in debita fuerit dispositione, quoniam si indisposita esset, corrumpere illud, ac diminueretur iuxta infortunium eius.

Saturni in natiuitate dispositio, significat sollicitudinem & tollerantiam laboris, Iupiter fidem firmam, & appetitum pecuniae.

Mars uim iræ denotat, nam eo existente in signo igneo, maioris iræ erit natus, quàm eo existente in aqueo.

Sol appetitum honoris & honestatis significat.

Venus appetitum mulierum, ludi, & conuiuij, potationis, & similibus.

Mercurius, sapientiam, & hoc magis cum fuerit occidentalis à Sole.

Luna uirtutes naturales, & complexionem corporis significat.

Si Mercurius in natiuitate fuerit in aliqua domorum Saturni, in sua propria dispositione, ab alijs non uiciatus, natus fiet optimi intellectus, & profundi consilij in rebus, occulti animi, intelliget res perfectissime. Si autem fuerit infortunatus, diminuetur significatum proportionaliter.

Mercurius in Tauro uel Scorpione deprauatus, significat ingenium rude, & ad studia literarum minime aptum.

Si Mercurius fuerit in aliqua domorum Martis, maxime in Ariete, natus erit subitæ mutationis, suspectus in omnibus factis suis, perfidus & crudelis, abundabit stultis.